DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
Hæmorrhagia in genere.

QUAM
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th.
Doctoris, Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Ecceſiaſticæ Profeſſ. Primarii,
Eccleſiaſtæ diſertiſſimi, Acad. Bibliothecarii,
NECNON
Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,
& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto*
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitime conſequendis,
Publico examini ſubjicit
CORNELIUS EDAM, Hornâ Weſt-Friſius.
Ad diem 12 *Maji horis locoque conſuetis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCII.

DEO
TER OPT. MAX.
NEC NON
PATRI,
PRÆCEPTORIBUS,
FAUTORIBUS,
AC
CONSANGUINEIS ET AMICIS SUIS
omni honore proſequendis

Hanc Diſputationem Inauguralem

D. D. D.

CORNELIUS EDAM.

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PROOEMIUM.

U*ti fermè nihil magis in uſu eſt, quam conſulere valetudini corporis humani, ita certe nihil tutius, nihilque præſtantius reperire licet, quam methodicè illud aſſequi; verum dolendum, quod à pluribus illud tam parum obſervari videatur, quin abjectis potius ratiociniis, veraque* Philoſophia *inconſideratè ſine recto curationis tramite remedia adhibeantur; ita ut non tantum circa vulgus, qui ex opinione plurima, & veritate pauca ſibi perſuadet, verum etiam circa plurimos alios, qui* Medicinam *profitentur, illud culpandum habeamus.*

*Si igitur tanta in praxi Medicâ reperiatur diſtantia, nonne facile liquet, undenam tanti in ea exercenda committantur errores? Nam præterquam, quod alii univerſalia quædam pauca medicamenta ſolummodo proponant, quibus tota (*ſi diis placet*) regeretur* Medicina, *alii nulla omninò, qua inſtructi aliàs eſſe deberent, morbi, ejuſque cauſæ, prognoſeos ac indicationum curativarum cognitione pollent, adeoque ſine ulla (ſaltem recta) ratio-*

ne Medicamenta adverſus morbos ægris præſcribunt, à quibus certum (ut ſibi perſuadent) ſperant eventum, ubi interim ægri, omni hac ratione ſanitatis ſpe deſtituti, vitam miſerabilem & valde acerbam traducere coguntur.

Nos autem ut culpandum hocce vitium evitemus, utpote ad præceptorum noſtrorum documenta Sacramentum diximus, aliam propoſitam habemus viam, qua tutius & certius abſque dubio procedere licebit: hanc autem ſiquidem veram hominis, ſtatus tam naturalis, quam præternaturalis, adeoque morborum eorumque ſymptomatum & cauſarum, prognoſeos, ac indicationum curativarum, antequam remedia applicanda veniunt, eſſe præcognitionem arbitremur, ſimili modo in ſequentibus Diſputationem *noſtram* Inauguralem *proponere neceſſarium duximus, & quidem ſub titulo de* Hæmorrhagia in genere, *affectus certe (licet cognitu non adeo difficilis) non rarò tamen valde periculoſus, tum propter partis affectæ quandoque dignitatem, tum propter plurima ac graviſſima ei ſupervenientia ſymptomata.*

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

Hæmorrhagia in genere.

§. 1.

Quamvis vox *Hæmorrhagia* abſque ulla partis affectæ denominatione utplurimum pro ſanguinis per nares ſtillicidio haberi ſoleat, attamen ſi ejus etymologiam conſideremus, generalem; utpote ab αἷμα ſanguis, & ῥέω fluo deſumptam, nobis exhibet ſignificationem, ita ut in genere nihil aliud denotet, quam quemlibet ſanguinis à quacunque demum corporis parte effluxum, unde pro diverſitate partis affectæ varia ſortitur hic affectus nomina; ſic alia eſt *hæmorrhagia narium*, alia *hæmoptoë*, alia *vomitus ſanguinolentus*, alia *fluxus dyſentericus*, alia *fluxus hæmorrhoidalis* & *hepaticus*, alia *iterum hæmorrhagia uteri*, alia denique *mictio cruenta* &c.

§. 2. Verum variæ adhuc ratione cauſarum, aliæ dantur *hæ-*

morrhagiarum differentiæ; aliæ enim dicuntur *periodicæ*; aliæ verò *criticæ* & *ſymptomaticæ*, quarum hæc, quemadmodum à quacunque demum cauſa, ſive interna ſive externa producitur, ita illa pluribus morbis, & ſpeciatim febribus ardentibus, vel ad *ſalutem* vel ad *mortem* ſupervenire ſolet; ſed qua ratione hæ contingunt poſtea, ubi primò generalem, tum naturalem, tum præternaturalem partium tam ſolidarum, quam fluidarum conſtitutionem exhibuerimus, inquiremus.

§. 3. Nullum igitur dubium eſt, nec ullo modo quod ſciamus à veritate alienum, quin totum noſtrum compoſitum ſeu microcoſmus ex innumeris conſtet tubulis atque canaliculis tam arterioſis & venoſis, quam lymphaticis ac nervoſis, quorum alii per conſequens liquorem per ductus ſuos vehunt arterioſum ſeu fluidum & rutilantis coloris, alii verò venoſum ſive proportione ad priorem habitâ craſſiorem aut nigricantis ſeu obſcurioris coloris, alii prætereà laticem lymphaticum ſeu tranſparentem, & cum nervoſo ab aliis omninò ſecretum, verùm quoniam hi omnes uni eidemque trunco, non uti per anaſtomoſin nonnulli illos conjunctos eſſe voluêre, originem ſuam debent, idcircò paulò accuratius iidem inquirendi nunc reſtant,

Videlicet cum in primordiis generationis, liquores non adeò æqualiter fuerint propulſi, ut in unum punctum terminum ſuum dirigere potuerint, ſed ad diverſas corporis partes, & quaquaverſum in omnem dimenſionem curſum ſuum à *puncto ſaliente* (uti *Harvæus* vocat) continuarunt, ſic ab aorta, ex ſiniſtro cordis ventriculo prodeunte, poſtquam in varias diſpertita erat partes, innumerabilès & tam copioſæ, ut oculum (accuratiſſimo microſcopio licet munitum) effugerent, prodière ramulorum propagines atque ſurculi, quorum alii ſtatim à centro ad circumferentiam, & à circumferentia ad centrum tendunt, alii vero ad quaſvis alias corporis partes per totam ejus peripheriam excurrunt, ubi interim ſingulam quamque corporis partem (jucundo ſatis ſpectaculo) anfractuoſis ſuis & admodum tortuoſis ductibus, rivuliſque in minutiſſimos iterum alios abeuntibus pererrando exornant: ita ut tota noſtra machina ex quamplurimis vel ad internas partium cavitates vel externam earum ſuperficiem excurrentibus compoſita ſit canaliculis, vaſculiſque ſuis liquoribus refertis, qui circulum

lum ſuum in omnem corporis circumferentiam abſolventes, & ſingulas hoc modo corporis partes alluentes inſerviunt tam nutritioni partium ſolidarum, quam ſequeſtrationi variorum humorum in diverſis partibus, verum ex quibuſnam hi conſtent particulis & qua ratione ſibi invicem ſint commixtæ, jam paucis inveſtigandum.

§. 4. Sanguinem, reliquoſque eum componentes humores ex innumeris, diverſiſſimiſque (ratione magnitudinis, figuræ atque pororum) conſtare particulis nemini ignotum eſſe poteſt, modo attenderit, quod non ſolum externarum partium corporis ſtructura & lineamenta admodum varient, verum etiam quod tum alimenta, tum potulenta maxima quoque particularum ſcateant diverſitate, ita ut, præter plurimas alias, quæ in ſanguine forſan reperiuntur infinite diverſæ, generaliter inſint particulæ ſalinæ, oleoſæ, aquoſæ, terreſtres, & in parva quantitate quoque acidæ, quæ determinata quantitate & proportione ad invicem mixtæ & unitæ, plurima quoque inter ſe relinquunt interſtitia, ea autem cum materia ætherea (primum elementum *acutiſſimo Carteſio* dicta) continuò motu quodam velociſſimo pertranſeat, eaſdem ad continuum motum ciere neceſſum eſt, ita ut hac ratione in motu tam inteſtino quam progreſſivo ſanguis & humores conſtituti circulum ſuum per ſupradictos rivulorum rivulos valida laterum cordis contractione in univerſum corpus abſolvant, variaque œconomiæ animali emolumenta præſtent, quæ omnia hic indagare uti inſtituti noſtri ratio minime permitrit, ita ad ſtatum præternaturalem, veramque hujus affectus cauſam & originem accedimus.

§. 5. Ex adverſo itaque, quando non amplius in ſtatu bonæ mixtionis atque proportionis perſeverare pergunt, ſed unius generis particulæ præ aliis notabiliter prævalent, non ſolum varia ſeſe manifeſtant incommoda, verum etiam plurima ac graviſſima perſæpè producuntur ſymptomata, variaque pro diverſa partium conſtitutione, diverſaque cauſarum indole ac natura morborum genera; ita ut vel morbi oriantur calidi ſeu ardentes & acuti, vel chronici ſive frigidi dicti, vel dolores vel lypothymiæ, deliria aut convulſiones imo (ne extra oleas va-

ge-

gemur) non rarò etiam ſanguinis eruptiones atque *hæmorrhagiæ*, quarum cauſæ jam explicandæ ſunt.

Videlicet quando ſanguis & humores univerſaliter peccant acres atque craſſi, notabilique acrimonia ſive ſalina ſive acida fixa ſunt inquinati, ita ut homogenea ad homogenea accedant, & â cæteris fluidioribus præcipitentur, dum extra conſuetam ſuam ſphæram, intra quam ante libere moveri ſolebant, ejiciuntur, liberum per tubulos, ductuſque vaſorum ſanguiferorum (per quamcunque corporis partem perreptantium) non inveniunt tranſitum, ſed iiſdem inhærendo latera vaſorum erodunt & rumpunt, ſanguiniſque extravaſationem ſeu *hæmorrhagiam* producunt, quæ vaſorum ruptio *continens* quidem hujus morb. & *proxima* exiſtit cauſa.

§. 6. Breviter hac ratione, & rudi (ut inquiunt) minerva expoſita *cauſa* tam *antecedente* quam *continente*, quid ergò dicendum de *hæmorrhagia critica*? eam enim cum diximus ut plurimum ſupervenire aliis morbis, & ſpeciatim febribus ardentibus, notandum, quod in illis plerumque notabilis acrimonia peccet & humores ad valde vehementem concitati ſint motum, ita ut magnam lateribus vaſorum violentiam & eroſionem inferendo, diſruptionem eorum, ac per conſequens (uti in cauſa continenti dictum) ſanguinis extravaſationem ſeu *hæmorrhagiam* producant, & quidem vel ad *ſalutem* vel ad *mortem* terminantem; quatenus ſc. facili cum euphoria ac mitigatione aliorum ſymptomatum, nec non *die critico*, poſt ſigna concoctionis (quamvis tamen *hanc criſin* noſtris in regionibus ſeptentrionalibus rarius obſervare liceat) contingit, dum propter conſtantem ætheris conſueti (à quacunque demum cauſa introducti) per poros ſanguinis transfluxum motus humorum tam inteſtinus, quam progreſſivus adeo invaleſcit, ut omne peregrinum ex corpore eliminetur; vel è contrario, quatenus modum valdopere excedit, aut ſupervenit viribus admodum proſtratis, ita ut pori, tubuli atque canales vaſorum notabiliter inde collabantur, ſanguinis humorumque motus tam inteſtinus quam progreſſivus retardetur, obſtructioneſque plurimæ oriantur, unde omnes tum naturales, tum animales ſuccumbunt functiones.

Ve-

Verum quæritur hic quænam vaſa, arterioſa ſc. an venoſa in *hæmorrhagia* rumpantur. Reſp. utrumque fieri poſſe, præſertim tamen & facilius iis in locis ubi anguſtiæ arteriarum & venarum concurrunt, ſanguis enim & humores craſſi & acres cum non ſatis ſubitò ex anguſtiis arteriarum in anguſtias venarum transfluere poſſint, ſolito majorem lateribus vaſorum ibidem infert violentiam, adeoque faciliorem ruptionem: ſimilis quoque videtur eſſe ratio, cur partes notabili cavitate donatæ, magis quam aliæ hæmorrhagiis ſint obnoxiæ; quatenus videlicet vaſa ſanguifera ad internas partium cavitates excurrendo paucioribus fibrillis ſtipantur, adeoque impetui ſanguinis humorumque (forte fortuna advenienti) ad reſiſtendum minus ſunt apta, unde neceſſum eſt, eadem facilius ibidem rumpi poſſe.

§. 7. Inquiſitio cauſarum omnium, quibus in hunc morbum prolabimur, procatarcticarum hic quidem ſeſe ſiſtere deberet, ſed quoniam plurima & ſæpenumero valde periculoſa huic morbo ſuperveniunt ſymptomata, idcircò non inconſultum duximus, ſi ea in anteceſſum, quâ ratione eveniant, explicaremus. Sic

Virium imbecillitas exoritur, quatenus propter magnam ſanguinis humorumque extravaſationem, præterquam quod copioſæ ac plurimæ particulæ volatiles & ſubtiles ſimul ſint expulſæ, adeoque notabiliter in corpore deficiant, etiam ſubſident ac collabuntur pori, tubuli atque canales partium ſolidarum, ita ut propter motum ſanguinis, humorumque minorem pori arteriarum non ſatis dilatentur ad ſequeſtrationem particularum ſubtilium ſive ſpir. animalium abſolvendam, unde cum ſufficienti quantitate per nervorum tubulos ad partium corporis muſculos, ad motus tam arbitrarios, quam automaticos abſolvendos, influere nequeant, neceſſum eſt, functiones tum animales, tum naturales ritè procedere non poſſe, ac per conſequens vires inde valde profterni debere.

Lypothymia quoniam ſimilem omninò cum priori hic agnoſcit cauſam, ſolummodò dicimus, quod gradu tantum majore vel minore à ſe invicem hi affectus differant, adeoque præſupponant majorem vel minorem particularum ſubtilium quanti-

titatem vel defectum, ita ut hac ratione non minus functiones in hoc caſu lædantur, quam præcedenti affectu. Idcircò

Syncopes maximum ſpir. animalium defectum denotans ab eodem omninò fonte deducenda erit, ſiquidem ſanguis & humores hoc modo ferme inepti evaſerunt ad rarefactionem intra utrumque cordis ventriculum ſuſcipiendam, & circulum ſuum per univerſum corpus abſolvendum, hinc cum non ſatis vivide verſus cerebrum propelluntur, ſpiritus animales ſequeſtrari nequeunt ad motus tam arbitrarios, quam automaticos peragendos, qui quidem ad vitam perennandam abſolutè ſunt neceſſarii.

Vertigo & præſertim ſi ſit *tenebricoſa* quid aliud quoque denotat, quam valde magnum propter inſignem ſanguinis humorumque depletionem ſpirituum defectum, ita ut cum nervorum tubulos ſatis diſtendere, & motum ſuum rectilineum per eoſdem continuare nequeant, ad lineam à rectâ minime declinantem ſeu ellypticam moveri pergant, quapropter intra cerebri ventriculos in gyrum acti, circumrotationem objectorum externorum, adeoque vertiginis illam triſtem menti ideam repræſentant; atque hæc (ſit tanqam per parentheſin dictum) ſimul videtur eſſe ratio, cur animi deliquium non rarò *vertigo* præcedere ſoleat.

Tremor itidem nec aliunde provenit, quam quod ſpiritus animales propter paucitatem ſuam, à *nimia hæmorrhagia* productam, intra muſculos partium & membrorum verſantes, eorum valvulas ſatis diſtendere non poſſint, hinc regurgitando æquilibrium muſculorum tollunt, & membra ſuſque deque movendo tremorem producunt; uti hoc ſæpe circa reconvaleſcentes à prægreſſis morbis debilitatos obſervare licet, quando eorum membra tamdiu, uſque dum ſufficientes vires recuperaverint, motu tremulo occupari ſolent.

Reſpiratio difficilis nullam aliam agnoſcere hoc in caſu quoque poteſt cauſam, quam quod propter tubulorum in nervis ſubſidentiam à ſpirituum inopia propter nimiam ſanguinis *extravaſationem* obortam, muſculi reſpirationi inſervientes ſufficienter (nam actio hæc merè mechanica eſt) aut contrahi aut dilatari, ac per conſequens pectus aut anguſtare aut dilatare non poſſint,

ita

ita ut aër non libere ſatis in pulmones impelli & ex iiſdem iterum expelli poſſit.

Cachexia Leucophlegmatica ab hoc morbo producta, ex eo omninò dependet, quatenus tarde circulante ſanguine plurimæ in corporis partibus, & præſertim ejus exterioribus producuntur obſtructiones, quæ liberam poſtea ad externam corporis ſuperficiem ſanguinis propulſionem impedientes habitum ejus (uti in *cachexia* fieri ſolet) reddunt decoloratum.

Hydrops & *anaſarca* eandem aut ſaltem præcedenti ſimilem agnoſcunt cauſam, nempè ortum trahunt à lympha in vaſis lymphaticis circa exteriora corporis ſtagnante, vel in cavo abdominis extravaſata, quæ extraordinariam ibidem tumeſcentiam, abdominiſque diſtenſionem producendo utrumque hunc morbum efficit.

Pedes adæmatoſi à nimio ſanguinis non rarò gignuntur *profluvio*, & quidem eadem iterum ratione, qua *anaſarca*, niſi quod motus ſanguinis (proportione habita) in partibus inferioribus ſit languidior, adeoque longiori temporis intervallo indigeat ad ſui verſus *centrum* propulſionem, unde procul dubio facilius quoque ibidem humorum ac per conſequens lymphæ producuntur ſtagnationes, quæ ſimilem cauſari valent affectum.

Atrophia ſive *tabes* quomodo èx *immodico ſanguinis fluxu* reſultare poſſit, facilè & manifeſtò ex jam dictis conſtat; partim ſc. quatenus ſucco chyloſo propter plurimas à retardato ſanguine obortas obſtructiones liber denegatur ad partes ſolidas tranſitus; partim quatenus pori atque tubuli arteriarum collapſi particulas chyloſas non tranſmittunt, ut ſtaminibus partium ſolidarum apponi poſſint, adeoque eaſdem nutriant.

§. 8. Enodatis quidem generalioribus ac præcipuis (nam ſingulâ ſi hæc indagaremus, vereremur, ne incaſſum laboraremus, utpote ex eodem fonte ſunt deducenda) ſymptomatibus, cauſæ remotiores procatarcticæ ſive fortuitæ, quæ hujus affectus anſam præbere ſolent inveſtigandæ occurrunt: hoc ergo ſenſu dicuntur hunc morbum generare ea omnia, quæ ſanguinem humoreſque incraſſare, eoſdemque notabili acrimonia inquinare valent, qualia ſunt omnia acria craſſa & auſtera aſſumpta, ut ſalina, & acida fixa, aromata, carnes & piſces ſaliti, vel fumo indurati, fructus crudi immaturi & auſteri, vina copioſa & generoſa, ac præſertim

nimius ac diuturnus uſus ſpiritus vini, ſimiliumque aliorum potuum ſpirituoſorum; à quibus non excludendus eſt abuſus Nicotianæ, nec non aër aut nimis calidus aut nimis frigidus, vel plurimis particulis acribus onuſtus, qui ſanguini, humoribuſque communicatus, eoſdem valdopere incraſſat, & de acrimonia ſua participat. Sic vigiliæ nimiæ ac diuturnæ particulas ſubtiles ac volatiles diſſipando relinquunt ſanguinem craſſum, effætum & acrem; ad quod non minus ſymbolum ſuum conferre videtur venus nimia ac immoderata, quatenus particulas balſamicas, & ſubtiliores ex corpore eliminant & diſcutiunt, relictis craſſioribus acrioribus atque terreſtribus; quo pertinent etiam exercitia corporis nimis vehementia aut motus ejus immodici, nec non omnia purgantia acriora, evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ, ut ſunt menſium & lochiorum ſuppreſſio, hæmorrhoidum fluxus naturalis ſive conſuetus impeditus, nec non hæmorrhagia narium nimis ſubito ſuppreſſa &c. quoniam particulæ illarum evacuationum in ſanguine manendo peregrinum & valdè vehementem introducunt humorum motum, quo vaſorum latera extraordinarie diſtenduntur ac rumpuntur: ſimili ratione hoc in caſu culpantur omnia animi pathemata vehementia, ut ira, terror &c. nec non diſpoſitio corporis plethorica, dum ſanguis ille craſſus ad vehementem motum concitatus non libere & ſatis ſubitò ex anguſtiis arteriarum in venas ampliores ferri poteſt, ſed hærendo valde magnam vaſorum illorum expanſionem, adeoque ruptionem cauſantur: huc quoque contribuit temporis anni conſtitutio, uti teſtatur *Hipp. ſect. 3. aph.* 20. quo non minus præterea ætas conferre ſolet *teſte eodem aph. 27. & aph. 29. ſect. ejuſdem*; videlicet propter majora exercitia, conſtantiorem, acrioremque diætam fermentationes ſanguinis ſucceſſive ita invaleſcunt, ut humidum viſcoſum in eo abundans ſenſim dividatur & ex corpore diſcutiatur, hacque ratione humores acriores reddantur, adeoque ad *hæmorrhagiam* producendam aptiores: ſimiliter nonnunquam concurrit nativa corporis diſpoſitio, quatenus in primordiis generationis ſanguis & humores fuerunt aut craſſiores ſolito & acriores facti, aut quatenus vaſorum canales ſive tubuli tunc temporis ſolito magis evaſêre anguſti, ita ut invaleſcentibus poſtmodum propter majora exercitia, conſtantiorem, acrioremque diætam, humorum fermen-

mentationibus, eorumque acrimoniâ adaugente, liberum per eorum ductus poſtea ſervare non potuerint excurſum, hinc iiſdem inhærendo latera vaſorum erodunt & rumpunt: huc denique accedit, quod iis, qui aliquaudo *hæmorrhagia* laborarunt, facilius iterum & ſæpius ſupervenire ſoleat; nec aliam quidem ob cauſam, quam quod pori vaſorum à certa ſua configuratione & magnitudine, quam ante poſſidebant, jam recedentes difficillime aut nunquam priſtino reſtituantur ſtatui, hinc humores ſolito acriores & craſſiores non tranſmittentes, itidem poſtea facile rumpuntur, ſanguiniſque extravaſationis occaſionem præbent.

§. 9. Sed unde quæſo *hæmorrhagiæ periodicæ*, quæ certis ac ſtatis temporibus eveniunt, & ſæpenumerò circa magnas anni mutationes accidere ſolent? Revera non aliunde illas dependere firma nobis ſtat ſententia, quam quod tellus noſtra, cum certis temporibus non tantum ſolem & lunam, verum etiam certas ſtellas tam erraticas, quam fixas diverſimode reſpiciat, certos quoque ac diverſos ætheris influxus, determinationeſque ejus certas recipiat, propter quas evidentiſſimum eſt varias & quidem certo tempore oriri in ſublunaribus mutationes: ſi itaque contingat, quod ſi æther quidam determinatus maſſam ſanguineam permeet, & quo ad diametrum pororum ſanguinis & humorum non conveniat, ſolito majorem in iis ſuſcitat motum inteſtinum, quo mediante latera vaſorum ita extraordinariè diſtenduntur ac expanduntur, ut aperiantur & omninò rumpantur, *effluxumque cruentum* cauſentur.

§. 10. Plura adderem, niſi in præſentiarum hæc dicta ſufficerent, adeoque *prognoſtica hujus affectus* nobis diſpicienda veniunt, quæ tanto quidem periculoſiora cenſentur, quanto plura ac graviora combinantur ſymptomata, nec non quo major ac diuturnior fuit *hæmorrhagia*, & quidem ex univerſali ſanguinis, humorumque intemperie acri oriunda, nam licet *hæmorrhagia* ad tempus ceſſaverit, tamen facili negotio propter eandem acrimoniam reverti poteſt; alias ubi à cauſa quadam fortuita ortum traxerit, nec admodum magna fuerit, aut notabiliora vaſa ſanguifera læſa ſint, nulla non tantum conſideratu valde digna producit incommoda, verum etiam facile coërceri conſuevit; variat quoque ratione partis affectæ, prout enim illa magis vel

 minus

minus nobilis exiſtit, diverſos vel periculoſiores vel minus periculoſos habere ſolet exitus: in *morbis acutis* & *malignis*, ut *febribus ardentibus*, ſimilibuſque aliis cum magna virium dejectione, aliorumque ſymptomatum augmentatione ſi contingat, nil niſi malum portendit, ob rationes ſupra in §. 6. allegatas: in ſenili ætate majus rurſum periculum apportat, quam juvenili videl. propter ſanguinem, humoreſque in majorennibus acriores, mali cauſam foventes: corporibus debilioribus ſi ſuperveniat, multo periculoſior & magis exitioſa cenſetur, quam ubi vires adhuc valde conſtant: recidiva verò & quæ aliquoties nonnunquam magna cum vehementia revertitur, ægrum non rarò in ſummum conjicere ſolet vitæ periculum, præſertim ſi à graviori quodam introducitur morbo: ſi *periodica* & *conſueta* fuerit *hæmorrhagia*, ac ſubitò abſque manifeſta quadam cauſa ſupprimatur, peſſima frequenter producit ſymptomata, quæ tanto iterum periculoſiora prodeunt, quanto graviores, à quibus producta ſunt, agnoverint cauſas: bono tamen ſæpenumero cum eventu nonnullis hanc evenire morbis ſatis, ſuperque quotidiana docet experientia quemadmodum hoc etiam *ſuis* in *aphoriſmis* pluribus in locis teſtatur *noſter Hipp.* non mirum, dum ſolito vehementiore motu in ſanguinem humoreſque introducto latera vaſorum ita diſtenduntur, ut rumpantur, particulæque peregrinæ vi fermentationis majoris ex corpore ejiciantur; ita ſimiliter *hæmorrhagia* ſi fuerit *periodica* & certis temporibus *conſueta* omninò ſalutaris (ni modum excedat) eſſe ſolet.

§. 11. Curationem quod ſpectat, certè ſi alibi in praxi cautè ſit procedendum, hic illud maxime locum habere debet, idcirco medicamenta ſanguinem ſiſtentia maxima cum circumſpectione adhibenda eſſe jure merito arbitramur, adeoque non ſemper ad valida ſtatim (licet hæc videatur eſſe indicatio) adſtringentia perveniendum eſſe ratio maniſeſtiſſime dictat ſiquidem aliàs, ubi ſanguinis fluxus ſubito fuerit cohibitus, & præſertim ſi ex univerſali ortum traxerit ſanguinis, humorumque intemperie acri, tanta cum vehementia quandoque reverti ſoler, ut ſummum *ægrum* in mortis periculum conjiciat.

§. 12. Nos igitur duplicem præcipuè curandi ratione ſubjecti proponimus methodum, alteram ſc. univerſalem ſanguinis humo-

morumque intemperiem ſpectantem; alteram verò, ubi nulla (ſaltem notabilis) præceſſerit intemperies: in priori ergo caſu (licet hæc ſperatos altero in caſu ſortiri quoque poſſint effectus) magis convenient *emollientia*, quæ ſanguinis, humorumque acrimoniam temperare valent, & particulis ſuis hamoſis flexilibus & lubricis alias acuminatas & rigidas vaginarum inſtar involvunt, adeoque efficiunt, ne latera vaſorum magis erodantur; in poſteriori vero *adſtringentia*, quæ particulis ſuis craſſis irregularibus ac ſcabris ſeu terreis & äuſteris humorum motum nimium modice retardando, poros, tubuloſque comprimendo, adſtrictionem promovent; quo pertinent etiam *Anodyna* & *Narcotica*, nimium ſanguinis, humorumque *Orgaſmum* compeſcentia: talia ſunt omnes radices emollientes & adſtringentes, ut rad. alth. conſolid. ſeu ſymphyt. major. biſtort. tormentill. Ejuſdemque naturæ herbæ, folia ac flores, quemadmodum ſunt flores papav. rhead. balauſt. roſar. rubrar. ſimileſque aliæ, quibus addi poſſunt paſſulæ corinthiacæ aut caricæ pingues vel jujubæ aut ſiliquæ dulces &c. quo pertinent etiam ex *animalibus* & *mineralibus* deſumpta, cornu cervi raſpatum, ejuſque gelatina, ſperma ceti, teſtæ ovorum calcinatæ, cornu cervi uſtum & præparatum, nec non terra ſigillata, bolus armen. lapis hæmatit. ejuſque tinctura, corall. rubr. præparat. & ejus tinctura, conchæ ac margaritæ præparat.; crocus martis adſtringens, ſacch. ſeu ſal ſaturni, nitrum, ac ſal prunellæ: huc accedunt adhuc varia alia, ut ſuccus acaciæ, *hypociſtid.* ſanguis draconis, catechu, opium, camphora: ſpec. diatragacanth. frigid. diatrion. ſantalorum &c. conſerv. flor. balauſt. roſar. rubr. nymph. myva ſeu caro cydon: rob. acaciæ, trochiſci de terra ſigillata, alkekengi; theriaca recens Androm. Mitridat. Damocr. Diaſcord. Fracaſtor. & Sylvii, confectio hyacynthor. alkermes, requies Nicolai, phylon. Meſuæ, laud. opiat. aut opium ipſum in aqua ferventi, diſſolutum, iterumque inſpiſſatum, nec non maſſa pilularum de cynogloſſa, ſimiliaque plura, ut & denique ejus naturæ aquæ deſtillatæ & tincturæ, additis nonnullis ſyrupis ſimili qualitate imbutis, ex quibus jam variæ pro re nata concinnari poſſunt formulæ incraſſantes & adſtringentes.

§. 13.

§. 13. Verum, quod ſupra de *fortioribus* indicavimus *adſtringentibus*, illud hic quoque de *uſu opiatorum* maxime notandum volumus, quod videl. ſi in nimia quantitate exhibeantur, *hæmorrhagia* ab iiſdem facile reſultare poſſit, uti etiam teſtatur *Petrus Borellus hiſtoriarum & obſervationum centuria* IV. *obſ.* 57. Aliàs ubi hæc modicè uſurpantur, nec alia medicamenta quid præſtant, ſed malum potius incrementum ſumit, non ſolum tuto exhiberi poſſunt, verum etiam nihil æque divinum h ſce & ſimilibus in caſibus quam hæc reperiri licet, ita ut ad hæc, modo ægri vires ſuffecerint, ſummo in neceſſitatis caſu tanquam ad *ſacram* confugere poſſimus *anchoram*, præſertim ſi cum aliis ſudoriferis non ſalinis, ſed terreis ſeu acidum abſorbentibus commiſceantur.

§. 14. Præmiſſa ergò utroquè in caſu venæſectione (niſi vires per nimiam aut diturniorem *hæmorrhagiam* valde fuerint debilitatæ, vel aliæ prohibuerint circumſtantiæ) præſcribantur in intemperie ſanguinis humorumque acri (niſi alias ſumma id deneget neceſſitas) ſequens aut ſimile decoctum:

℞. Rad. altheæ ℥iß
Raſur. cornu cervi ℥ß
Herb. malvæ
Biſmalv. ana. Mß
Plantagin. Mj
Hord. mundat. Miß
Flor. papav. rhead. p. ij
Hyperic. p. j
Sem. 4. frigid. major. ana. ʒij
Caricar. pinguium par. viij

Coq. in ſ. q. aq. communis ad ℔iij. ut fiat decoctum aliquoties de die bibendum.

Spectant huc quoque *Emulſiones ex amygdalis dulcibus decorticatis, ſem. 4. frigidis majoribus, ſem. papav. albi & lini, nec non decoctum hordei aut ptyſanæ.*

Verum contingit aliquando, quod fluxus ſanguinolentus pertinacior his aut ſimilibus emollientibus ſiſti nequeat, ita ut omninò requirantur adſtringentia medicamenta: tunc optime, prætersquam

quam, quod liquore quodam ſtyptico ſeu adſtringente, ut vino rubello, vel lacte aut aqua chalybeata, excoqui poſſint, hiſce aut ſimilibus decoctis nonnulla ſuperius memorata adduntur adſtringentia.

§. 15. Sed facile quis objicere poſſet venæſectionis uſum, quam neceſſariò celebrandam ante omnia præmiſimus, hic plane nullum eſſe, quoniam vires per illam æque fermè ac per aliam proſternuntur *hæmorrhagiam*, nec non *hæmorrhagia* vicem venæſectionis ſupplere videtur; aſt reſp. primò hanc nunquam inſtituendam eſſe (uti ſupra diximus) ubi vires defecerint, aut aliæ circumſtantiæ illam prohibuerint; 2°. ad tritum illud medicorum monitum attendentes, quod citò, tutò, ac jucundè curatio ſit inſtituenda, dicimus, quod tanta à venæſectione, quam ab alio ſanguinis effluxu non ſemper ſint metuenda ſumptomata, qualia non rarò aliàs *hæmorrhagiis* ſupervenire ſolent, imo ne dicam quod hac ratione plurima nonnunquam præcaveantur ſymptomata, quæ ægro forſan præſens adferret vitæ diſcrimen: 3°. certum eſt, quod per depletionem ſanguinis à venæſectione factam, tubuli vaſorum atque canales magis collabantur, adeoque humores in tardiori motu hoc modo conſtituti minorem verſus partem affectam faciant preſſionem, adeoque minorem ſanguinis extravaſationem.

§. 16. *Hæmorrhagia* verò ſi abſque ulla ſanguinis humorumque intemperie acri, ſed à cauſa quadam fortuita externa producta fuerit, ad fortiora ſtatim (quæ tamen in priori, ubi hæc adeſt, & violenter nimis urget, omninò etiam ſunt admittenda) adſtringentia medicamenta pervenire licet, quorum exemplum hæc aut ſimilis præbere poteſt mixtura:

℞. Aq. plantagin. ℥iij
rosar. ℥jß
flor. papav. rhead. ʒvj
Corall. rubr. pp. ℈ij
Sang. dracon. gr. xij
Tincturæ lapid. hæmatit.
Martis adſtringent.
ana gtt. xv.
Diacord. fracaſtor. ʒß.

Confect. hyacinthor. ℈j
Laud. opiati gr. ij
Syr. myrtillor. vel
de roſis ſiccis q. ſ. ad gratiam.
M. F. Mixtura.

Cujus doſis eſt ſingulis horis vel dimidiis cochleare j.

Juxta hanc normam variæ adhuc aliæ efformari poſſunt formulæ adſtringentes & incraſſantes, ut ſub forma hauſtus, conditi aut pulveris ſimili qualitate imbuti.

§. 17. Præter jam dicta medicamenta interna, varia adhuc apud autores externa recommendantur remedia, qualia ſunt fomentationes teſtium, aliarumque corporis partium cum aqua frigida aut liquore alio ſtyptico & refrigerante, amyleta, conſtrictiones & incurvationes digitorum, ſimiliaque plura; quo accedunt non raro valde ſuperſtitioſa, imò plane adſurda & ridicula, ſed, quoniam ſpeciales non tractamus hic *hæmorrhagias*, idcirco hæc omnia ſicco tantum præterimus pede.

§. 18. Ceſſante nunc fluxu ſanguinolento, porro deveniendum ad cauſæ antecedentis (ſi hæc conjuncta fuerit) correctionem, nam ægri aliàs, ſi in hoc ſtatu relinquerentur, *recidivam* facile paterentur *hæmorrhagiam*: quapropter nòn omittenda ſunt poſtea ea, quæ conſtant ſalibus volatilibus oleoſis blandis & temperatis, ſuoque in ſinu tenuem ſimul mucaginem foventibus, ex quibus præparetur decoctum, quod tanto magis hic conveniet, quoniam plurimas ad ſanguinem advehunt particulas aqueas ſeu humidas, quæ maxime aptæ natæ ſunt ad ejus acrimoniam temperandam, particulaſque ſalinas vel acidas peccantes abſorbendas, & inſtar vehiculi ex corpore eliminandas.

§. 19. *Hæmorrhagia* verò ſi fuerit *Critica* ad ſalutem, aut *periodica* ſive certis temporibus *conſueta*, nulla non tantum (niſi modum excedat) curatione indiget, verum etiam omninò eſt neceſſaria, ac per conſequens naturæ relinquenda, imo, ubi hæc ritè non procedat, medicamentis potius paululum adjuvanda.

§. 20. *Confortantia* denique & *cardiaca* non ſunt etiam negligenda, quoniam vires non ſolum per *nimiam* aut *diuturniorem hæmorrhagiam* haud raro valde proſternuntur, verum etiam ægri in periculoſam frequenter incidunt *lypothymiam*, quapropter *tam primi*
quam

quam *ſecundi generis cardiaca* in uſum ſunt vocanda, quæ non ſolum ſubitaneam (uti ſæpe requiritur) adferunt refocillationem, verum etiam conſtanter & diu in corpore manent: talia ſunt omnes aquæ tam ſimplices quam compoſitæ deſtillatæ ſpirituoſæ, ejuſdemque naturæ tincturæ, ſpiritus & olea ſpirituoſa deſtillata, additis terreis, aliiſque, ut oc. cancr. margarit. & corall. præp. fol. ſolis & lunæ, terr. ſigillat. confect. hyacynth. alkerm. theriac. diaſcord. nec non conſ. flor. borag. bugloſſ. calendul. roſar. rubr. rob. ſambuci &c.

Sub forma ergò conditi pro exemplo ſit ſequens:

℞. Conſ. flor. anthos
roſar. rubr. ana ℥j
Rob. ſambuci ʒvj
Confect. hyacynthor. ℥ij
Cort. arant.
Citri condit. ana ʒiij
Spec. diamargarit. frigid. ℥ij
Cinnamom.
Nucis moſchat. pulveriſat. ana ℈iv
Ol. menthæ gt. x
Syr. limon. q. ſ.
M. F. conditum.

De quo capiat æger ad caſtaneæ magnitudinem bis, terve de die.

§ 20. Sed quid juvat medicamenta præſcribere ſi non accurata obſervetur diæta, aut ubi plurimi *in 6. rebus nonnaturalibus* vulgò dictis, ut *aëre*, *cibo & potu*, *ſomno & vigiliis*, *motu & quiete*, *excretis ac retentis*, & denique *animi pathematibus*, continuò committantur errores? Ideoque cum nulla aut ſaltem optata exſpectari poſſit curationis ſpes, niſi hæc rite adminiſtrentur, ea omnia in uſum practicum maxime conſulenda eſſe putamus, verum qua ratione hæc ad noſtrum ſint dirigenda ſcopum, prolixo nimis indigeret examinis diſcurſu, quam ut accurate à nobis proponerentur, adeoque ſolummodo hic loci indicamus, quod præſertim maxime omnes cane pejus & angue ſint fugiendæ ſubitaneæ corporis mutationes, omnia animi pathemata vehementia, omniaque acriora aſſumpta & exercitia nimia, ac proinde exquiſitum & cauſis hu-

jus affectus contrarium obſervetur diætæ regimen, quod cum facile ex illis conſtat, finem diſquiſitionis noſtræ imponimus, quapropter manum de tabula.

ANNEXA.

I.

Qui fermentum in partibus ſolidis ſtatuunt ad humomorum ſecretiones abſolvendas, illi maxime falluntur.

II.

Omnes morbos qui ſtatis temporibus revertuntur, à ſolo ætheris influxu dependere, firma nobis ſtat ſententia.

III.

Dari medicamentum univerſale, vulgo panaceam *dictum, negamus.*

IV.

Quantitatem ſpecificorum non adeo quam qualitatem ad certa ſubjecta eſſe conſiderandam aſſerimus.

FINIS.